



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

4 An forma substantialis sit principium indiuiduationis substantiarum
materialium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

nam satis explicetur mens Aristot. & D. Thom. tum quia, alioqui valde diminutè, & cū magna æquiuocatione tradidissent nobis individuationis principium, si omisso eo, quod verè & in se est principium constitutum individui, solum nobis tradidissent, ut signa à posteriori, vel occasiones distinguendi, aut producendi individua: tum maxime, quia ex hoc principio videntur intulisse in separatis à materia nō dari plura individua, quia non datur huiusmodi principium individuationis. Illud etiam, quod in ea sententia dicebatur de determinatione agētium ad particulares effectus, & formas ex materia cum circumstantiis actionis, multis & doctis viris difficile creditu videtur, quia, si attentè res consideretur, omnia reducuntur ad circumstantiam temporis, quæ videtur valde extrinseca, ut ab ea possit hæc determinatio provenire. Sed de hoc ultimo puncto dicam commodius sectio. seq. De alio verò pertinente ad mentem Aristot. & D. Thom. Quod ad D. Thom. pertinet, constat expositionem illam fundatam esse in alijs locis, & verbis eius, quæ aliter conciliari non possunt. Quod verò ad Aristotelem attinet, nō videtur vnquam ex professo, & Metaphysicè principium hoc inuestigasse, & declarasse, sed solū ex sensibilibus physico more docuisse vnum individuum materiale ab alio distinguere. Quod verò inde intulerunt dicti auctores, in substantijs immaterialibus non esse multiplicationem individuum in eadem specie, hunc potest ad summum habere probabilem sensum, scilicet non habere nos rationes, & principia ad distinguendas spirituales substantias numero distinctas, quas habemus in materialibus, imo multi hoc extendunt, etiam ad materiales substantias incorruptibiles, in quibus etiam non habemus tot principia ad cognoscendam, vel ponendam in eis numericam distinctionem, quot habemus in substantijs corruptibilibus, de quibus maxime procedunt omnia, quæ dicta sūt. Denique quod Arist. dixit in 1. de Cælo. non posse esse alium mundum præter hunc, quia in hoc est tota materia, videtur certè intellexisse, aut Deum creasse mundum ex materia, nec posse materiam ipsam creare, aut Deum agere ex necessitate naturæ, & ideo nō posse plus materiam creare, quam creauit, vel certè ita esse Deum determinatum in suo modo agendi, ut nullam substantiam integram & materialem possit in tempore ex nihilo condere, ut in discursu huius operis videbimus. Itaque ex illa sententia solū ad præsens colligitur ex mente Aristot. materiales substantias non multiplicari, nisi ex materia. Quidquid verò sit de mente horum auctorum constat ex hac sententia sic declarata, non esse nobis traditum proprium & internum principium differentie individuales etiam in rebus materialibus. Nam argumenta facta contra hanc sententiam alijs modis expositam, plane concludunt non posse materiam signatam esse huiusmodi principium.

SECTIO IV.

An forma substantialis sit principium individuationis substantiarum materialium.

I.



St alia principalis sententia in hac materia principium internum individuationis esse formam substantialem. Hæc solet tribui Duran in 2. dist. 3. quæst. 2. qui non omnino illam affirmat, ut postea dicam: eam verò videtur docuisse Auer. 1. de anima c. 7. & libro 2. in principio, & com. 7. 8. & 9. & 60. & 3. Physic. com. 60. & lib. 4. com. 38. citatur etiam Auicenna 6. natural. p. 1. dicens: *formam dare subiecto unitatem numericam*: tenet Zimara Theophrastus. Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

rem. 97. & Sebast. Episc. Oxomen. 2. de anima cap. 1. Fauetq; Arist. ibidem, dum ait: *formam esse, quæ constituit hoc aliquid*. Et ex hoc verbo Arist. sumendum est principium fundamentum huius sententia: nam principium individuationis esse debet id, quod intrinsecè constituit hanc substantiam, & est maxime proprium illius: ergo ratione primæ proprietatis esse debet aliquid substantiale: nam accidentia, ut sæpe dictum est, nec constituunt substantiam, neq; hanc substantiam: nam hæc substantia, etiam ut est hæc est ens per se & substantiale. Ratione autem alterius proprietatis hoc principium nō potest esse materia, sed forma: quia hæc materia non est maxime propria huius individui, cum sub alijs formis esse possit: ergo forma est principium individuationis.

Vnde argumentor secundo, quia idem est principium unitatis, quod entitatis, propter quod dixit D. Thom. quæst. vnica, de anima, art. 1. ad 2. *vnusquodq; secundū idem habere esse & individuationē*. Sed vna quæque res propriè habet esse à forma: ergo & unitatem individualement. Maior constat, quia unitas est passio cōsequens entitatem, & non addit illi, nisi negationē: ergo non potest habere aliud principium positium & reale, nisi quod est principium ipsius entitatis.

Sed obiiciet aliquis contra hanc sententiam & rationem, quia quamuis rectè probet formam cōferre ad unitatem, non tamen, quod ipsa sola sit principium individuationis: nam etiam materia est principium intrinsecum constituens rei entitatem, & ideo etiā erit principium individuationis, si non sola, saltem cum forma. Responderi posset iuxta sententiam Durandi in q. distinct. 4. quæst. 1. *formam non tantum habere vim indiuiduandi compositum, sed etiā materiam ipsam, quia forma non tantum dat esse composito, sed etiam materiam: unde fit* (inquit) *ut hoc ipso, quod materia iungitur eidem formæ numero, sit ipsa eadem numero*. Sed hæc sententia Durandi falsa est, meritoq; à cæteris Theologis rejicitur, ut ostendi in secundo tomo tertie par. disputat. 4. 4. sect. 2. Vna enim & eadem numero materia, quæ fuit in corrupto, manet in genito, alioqui non esset idem numero subiectum, ex quo fit generatio. Item, quia impossibile est, ut vel res, quæ antea erat numero distincta ab alia: postea fiat illa, seu eadem numero cū illa indiuisibiliter, vel quod res, quæ erat vna numero, postea secundum se totam fiat alia numero distincta: ergo, materia quæ sub forma cibi est vna numero, non potest fieri alia numero per hoc, quod incipiat esse sub forma animæ, & materiam Petri & Pauli, quæ sunt numero distinctæ, non fient vna numero, etiam si successiue sint sub forma Petri, & Pauli. Deniq; alias eadem numero materia semel annihilata restitueretur per solam vnionem alterius materiam ad eandem formam: loquimurq; de vera unitate secundum realem & physicam entitatem, & non tantū secundum apparentiam, vel vulgarem modū loquendi, quo modo res, quæ est in continuo fluxu, & paulatim tantum mutatur, solet dici vna: sic enim etiā si mutatio fiat in forma, potest conservari talis unitas, ut patet in fluuiio, vel in arbore aut bruto.

Respondetur ergo aliter, verum quidem esse adæquatam causam intrinsecam individualis unitatis substantiæ materialis esse formam, & materiam, ut argumentum concludit, tamen, si hæc duo inter se comparantur, præcipuam causam huius unitatis esse formam, & hoc sensu illi specialiter attribui, quod sit individuationis principium. Sicut etiam materia necessaria est ad rationem seu unitatem specificam, non enim potest ratio hominis, vel humanitatis ut sic sine materia constitui, & idem est de ratione generica animalis, viuētis, &c. & nihilominus absolute dicitur ratio specifica sumi à forma: quia illa dat vltimum complementū, solumq; præsupponit materiam, ut quid potentiale & indifferens: eadem ergo ratione illa dicitur principium individuationis, quia

K 2

illa

III.

illa dat ultimū substantiale complementum indiuiduo, quamvis præsupponat materiam, ut potentialem de se & indifferentem, propter quod dixit Arist. suprà, & 1. Physic. c. 7. text. 69. formā constituere hoc aliquid. Et quoniam, ut suprà dicebamus, per idem distinguitur res, per quod constituitur, eadem formā, quā constituit hoc aliquid, distinguit illud ab alijs: quoniam actus est, qui distinguit, 7. Metaph. cap. 13. text. 49. ergo forma est, quā complet rationem indiuidui. Et hoc confirmat communis concipiendi & loquendi modus: nam, si animæ Petri v. g. vniatur corpus constans ex materia distincta à corpore, quod prius habuit, quāvis compositum illud non sit omni ex parte idem quod antea fuit, tamen simpliciter loquendo, illud indiuiduum dicitur idem ratione eiusdem anime, at verò è contrariò, si corpori ex eadem materia constanti vniatur anima numero distincta, simpliciter non censetur idem indiuiduum, sed distinctum: ergo signum est, indiuiduationem sumi præcipuè à forma.

IV.

Sed adhuc obijciatur contra hanc sententiam, & rationē factā, quia, licet forma ut sic, det esse specificum, tamen non dat esse indiuiduale & numericū, nisi ut est hæc: ergo non forma ut sic, sed id, vnde ipsa forma habet, ut sit hæc, est indiuiduationis principium sed est hæc ratione materiæ: ergo materia potius est prima radix indiuiduationis. Probatur minor primò, quia forma non est per seipsam hæc: alioqui idē dici posset de qualibet entitate, neq; oporteret quærere aliud indiuiduationis principium: ergo est hæc per materiam, nō enim potest alia radix excogitari. Secundò, quia forma habet totum suum esse in ordine ad materiā: ergo & indiuiduationem suam: ergo materia est principium indiuiduationis. Formæ, & consequenter totius cōpositi. Tertiò, quia formæ, multiplicantur numero, quatenus in diuersis materijs recipiuntur, & ideo formæ separatæ non multiplicantur numero, quia non recipiuntur in materia: ergo indiuiduantur etiam per ordinē ad materiā: vltima ergo resolutio huius indiuiduationis sit ad materiam, est n. hæc forma hæc, quia in tali materia recipitur: ergo prima radix indiuiduationis est materia.

V.

Hæc obiectiones sunt fundamēta opinionis tractatæ sectione præcedenti, quæ potius hanc sententiam, quam nunc tractamus, declarant & confirmant. Possunt enim ferè omnes retorqueri, & fieri de ipsa materia. Cōcedo itaq; formā non esse principium indiuiduationis compositi, secundum specificam rationē suam, ut est per se notum, sed in quantum est hæc: sed hoc ipsum dicendum est de materia: quia etiam materia habet specificam, & communem rationem, secundum quam non est sufficiens ad constituendum indiuiduum, ergo, si constituit, id facit in quantum est hæc. Quærā ergo rursus, vnde habet, quod sit hæc? Respondent aliqui, quia Deus voluit, hanc potius creare, quam aliam, sed hoc extra rem est: non enim hic inquirimus extrinsecum principium indiuiduationis, sed intrinsecū: alioqui etiam dicere quis posset, hanc animam esse hanc, quia Deus voluit potius illam infundere, quam aliam, vel hanc formam esse hanc, quia Deus determinauit ad illam suum cōcursū, ut est valde probabile, sicut dicemus sect. seq. Alij respondent, hanc materiā esse hanc, ratione huius quantitatis. Sed hoc, & est falsum, & non euacuat difficultatem. Primum patet ex supra dictis, quia cū hæc materia simpliciter supponatur huic quantitati, non potest per illam indiuiduari. Itē, quia rationes suprà factæ vniuersaliter probant nihil substantiale posse indiuiduari per accidens superadditum: nam etiam hæc materia est aliquid per se vniū constitutū sub specifica ratione materiæ per se illam contrahēs. Imò ex natura rei non distinguuntur materia, & hæc materia, sicut suprà ostēsum est de quolibet indiuiduo, respectu rationis cōmunis: ergo non potest hæc materia intrinsecè indiuiduari per quantitātē, quæ

est res ab illa distincta, nec per ordinem ad illam, cū potius hæc quantitas dicat ordinem ad hanc materiā, quam è conuerso. Secundū de quantitate patet, quia de illa etiā inquiram, vnde sit hæc, cum id non habeat ex sua specifica ratione, & cum non sit procedendum in infinitum, nec vitiosus & inutilis circulus committendus, sistendum erit in aliqua re, quæ per seipsam sit hæc: ergo hoc potius tribuendum est substantiæ, quā accidenti, cum illa sit prior, magisq; absoluta entitas, vel si admittēdum est, duo entia in completa per mutua habitudinem ad inuicem indiuiduari, secundum diuersa genera causarum, id potius dicendum erit de materia & forma substantiali inter se, quam cum aliquo accidente: quia magis per se connectuntur, & se inuicem respiciunt. Ergo omnia argumenta facta, possunt idem de materia cōcludere, quod intendunt de forma: nam est inter eas, quoad hoc, quædam æqualitas. Et aliunde materia solum superat formam in hoc, quod est quædam occasio producendi formas varias & indiuiduas, ve suprà declaratum est: forma verò superat materiā in hoc, quod præcipuè constituit indiuiduum, & quod est magis propria eius, & quod materia potius est propter formam, quam è conuerso, ut dicitur 2. Physicorum, cap. 9. text. 91. ergo pensatis omnibus potissimum indiuiduationis principium est forma.

Questionis resolutio.

Est ergo hæc sententia, prout à nobis exposita est, satis probabilis, proximèq; ad veritatem accedit. Simpliciter verò dicendum est, formam solum non esse plenum, & adequatū indiuiduationis principium rerum materialium, si de tota earum entitate loquamur: quamvis sit præcipuum, ideòq; iuxta formalem modum loquendi interdum censeatur sufficiens ad denominationē eiusdem indiuidui. Quæ omnia declaranda, & probanda sunt latè sect. 6.

VI.

SECTIO V.

Utrum principium indiuiduationis sit existentia rei singularis.



On defuerunt, qui ita affirmarint, quorum sententiam referunt Scotus, in 2. d. 3. quæst. 3. & Soncinas 7. Metaphysic. quæst. 32. & illam indicat Henr. quodlib. 2. quæst. 8. eamque illi tribuit, & in eam inclinat Carthu. in 2. d. 3. Fonseca verò li. 5. cap. 6. quæst. 2. sect. 2. refert Henr. quodlib. 5. quæst. 8. negantem indiuiduationem fieri per existentiam, nec per aliquid intrinsecum, sed per solum agens. Sed hoc, sicut per se improbabile est, ita à nemine asseritur, quod ego viderim: nam, licet agens sit causa extrinseca indiuidui, tamen id, quod efficit, distinctum est ab ipso agente: efficit autem indiuiduum, & confert illi naturam indiuiduam: ergo id quo natura est indiuidua, est aliquid intrinsecum ipsi indiuiduo. Et ita Henr. ibidem expressè concedit id, per quod indiuiduum habet esse hoc, esse aliquid præter materiam, & præter agens, quod ipse explicat esse rationem seu dispositionem suppositi. Vnde sentire videtur, substantiam esse principium indiuiduationis in omnibus substantijs creatis, & ita in priori loco sub distinctione locutus fuerat de existentia, vel substantia, & ideo de singulis aliquid dicere oportebit.

Opinio igitur de existentia ab omnibus reiicitur, ut omnino falsa & improbabilis: dupliciter autē in ea procedi potest, primò, supponendo, existentiam esse ex natura rei distinctam ab essentia indiuidui: secundò iuxta opinionem asserentem, existentia nihil a-

II.